228

luerunt penitere. propterea post xl. duos annos interfecit eos. et nemo ex illis remanserat. qui dominum crucifixerunt.
Iudas quoque maledicitur. ut in iuda iudei maledicantur. In memoriam redeat iniquitas eorum. et cetera. Hoc est in ultione quam
patres eorum debuerunt accipere in heremo propter murmurationem. accipiant isti propter domini interfectionem. In conspectu
domini. id est in disceptatione iudicii. quando dum peccata dominus respicit. auctores eorum sine dubitatione percellit. Inde et propheta cla
mat. averte faciem tuam a peccatis meis. Et peccatum matris eius non deleatur. Peccatum matris iude. id est sinagoge. quod conmi
serunt in domini interfectione non remittatur ei. Aliter. Que est mater iude? ierusalem que in sanguine gaudet. que oc
cidit prophetas. et ipsum dominum suum. Fiant. scilicet peccata eorum ut semper videat deus peccatum eorum. Contra dominum. id est coram
domino. hoc est in conspectu domini. Vel fiant contra dominum semper. id est contra voluntatem illius incedant. Et dispereat de
terra memoria eorum. Dispereat de terra viventium memoria iudeorum. pro eo quod non est recordatus facere misericordiam id
est populus in christum. quem occiderunt. et in apostolos quos persecuti sunt. quando eos post passionem domini iniqua per
secutione vexavit. Pro eo quod non est recordatus. scilicet ille populus facere misericordiam. scilicet apostolis. et fidelibus christi. Et persecutus est
hominem. id est christum. inopem. id est pauperem. Populus iudaicus persecutus est christum. qui pro nobis pauper factus est ut nos divites
faceret. Dominus inopem se dicit. et mendicum. Et quis indutus suis gloriatur habens consolationem pauperes et
dominus vobiscum pauperem. Et conpunctum corde mortificare. scilicet voluit. Conpunctum christum qui flevit non sui pecca
tum. sed populi iudaici. persecuti sunt mortificare. id est ut mortificarent. Et dilexit maledictionem. et veniet ei.
Dilexit maledictionem populus iudaicus. cum dixit. Sanguis huius super nos. et super filios nostros. Et venit super eum
sicut cotidie cernitur. et noluit benedictionem cum dixerit ceco illuminato. Tu discipulus eius sis. nos autem moy
si discipuli sumus. Benedictio quam noluerunt elongata est ab eis. que transitum fecit ad gentes. Sicut dicit apostolus.
Vobis quidem oportebat loqui verbum dei. sed quia repulistis illud. et indignos vos iudicastis eterne vite. ecce con
vertimur ad gentes. Et induit maledictionem. id est malam voluntatem sicut vestimentum. scilicet induit homo. Sicut
homo amicitur vestimento. sic iudei induti sunt omnem maliciam male voluntatis. Ipsa malitia non solum cor
pus exterius induit. verum et animam interius occupavit. et intravit. scilicet illa maledictio sicut aqua in in
teriora eius. et sicut oleum in ossibus eius. id est medullis eius. Sicut oleum in ossibus intrans delectationem parit. ita iudei
cum delectatione mortem domino paraverunt. inde se fortes putantes. quia inpunitum malum perpetrasse putabant.
Primo induit se iudaicus populus maledictionem sicut vestimentum. quando instigante diabolo consensum prebuit. ut
dominum pontio pilato tradere maluisset. Ibi enim quodam onere vestis indutus est. ubi tali voluntate noscitur
involutus. Secundo intravit maledictio in interiora eius. sicut aqua. quando deliberavit facere quod ei fuerat
iniquissima inspiratione suggestum. Aqua enim quando visceribus vitiosis recipitur. semper ad nocendum in
greditur. Tertio influxit iniquitas sicut oleum in ossibus eius. quando effectum rei inaudita perversitate con
plevit. ut iam non interiora carnis. sed etiam ipsa ossa penetrasse videretur. Dicendo enim oleum significat de
lectationem facinoris. quod si corpus nimium molliter ingreditur. ut nos mala iocunditate permulceat. quod constat malis
mentibus accidere. quando in scelere suo aliquis delectatione gloriatur. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur. scilicet homo.
Adhuc in ipsis conparationibus perseverat. ut hoc peccatum quod ille involui maluit. similitudinem vestis alte
rius indicet. Supra enim dixit induit. quod pertinet ad tunicam. nunc dicit operitur. quod videtur pallio convenire
ut geminata vestis ingentium significet onera peccatorum. Vestimentum quo operitur aliquis semper ab aliis cer
nitur. Zona autem ad hoc utimur. ut paratiores simus ad omne opus. Orat quoque propheta ut sic fiat iudeis malitia eorum non
sit occulta. sed publica parati ad omne malum. Et sicut zona. id est cingulum qua semper precingitur. Precincti quoque fuerunt
iudei zona. hoc est mala voluntate. quia non repentinum malum perfecerunt in morte christi. sed potius ante dispositum.
Hoc opus. scilicet sit. id est retributio eorum qui detrahunt mihi. Hec merces eorum. scilicet que dicta est manebit illis. qui de
trahunt domino. non recte de humanitate illius sentiendo. ut sunt heretici qui loquuntur mala adversus animam
christi. dicentes eum neque sua sponte mortuum. neque sua potestate a mortuis suscitatum. cum ipse dicat. potestatem
habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam. Et. scilicet sit illis hoc opus qui loquuntur mala adversus animam meam
id est qui me purum hominem sine deo dicunt. Et tu domine. Filius ad patrem dicit. fac mecum. scilicet misericordiam ut resuscites me

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 228 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/228)